



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. De Rege in futurum constituendo diserte cautum in lege Mosis. Non ergo in pœnam datus Princeps. Exprobata est ratio petendi Regem expulso Samuele, non ipsa petitio. Reges uncti sacrați unguento à ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

quidem parte accuratius conferri possit.

IV. Moses Maimonides Iudæos tria mandata à Deo accepisse observavit. Vnum, ut Regem constituerent; alterum, ut Amalekitas delerent; tertium, ut templum conderent. Quæ quidem longo intervallo, & diversis temporibus, sed eo ordine confecta sunt, quò iusta erant. Quippe Rex creatus fuit antequàm Amalekitæ internecone delerentur. tum verò, postquam infandæ gentis istius oblitterata memoria fuit, templum extructum est. De rege Israëlitis dando cogitavit Deus, quòd omnes in vicinogentes sub unius imperio viverent, ut discretè scriptum est Deuteronomij capite XVII. Suetum enim regibus Orientem graviter monet Claudius Civilis apud Tacitum. Itaque non est quòd ex eo capite imminutum eant Regibus majestatem, qui Reges in pœnam Israëlitis datos docent, cum pateat res Iudæorum ab initio ita constitutas à divino numine fuisse, ut Regis imperium illis esset subeundum. Quod cum ita sit, futurumque Regem pro genio & indole illius populi Deus edixerit, querendum est, cur summam rei à Samuèle ad Regem aliquem transferri indignè tulerit. Expedita est responsio, quam vir cordatus Moses Ægyptius protulit; non exprobrasse Samuèlem Israëlitis quòd Regem expeterent, sed quòd Samuèlis imperium exosi, querelis & seditiosis vocibus Regis constitutionem urgerent, factione extorquerent quod petitum oportuit, ea mente ut legis præcepto fieret satis. Regum autem conditionem, unctio nis cerimonie sacraverunt. Quæ unctio tantam majestatem illis conciliavit, ut sacrosancti in terris haberentur. Etenim unguentum quo ungebantur, confectum fuit semel à Mose è quatuor speciebus aromatum: quod vase corneo inclusum, ad unguendos Reges, Pontifices, arcam testimonij, mensam, candelabrum, utrumque altare, labrum amplissimum, ipsum tabernaculum, & vasa Sanctuarij, per novem secula usque ad Iosia Regis tempus suffecit. Quanquam Reges in capite ad coronæ formam ungerentur, summis autem Pontificibus in capite oleo perfusis, etiam inter supercilia crucicula X. unguento effigiaretur, ut notat Maimonides. Samaria novitios Reges balsamo tantum inunxit Elias; non unguento illo sacro quod diligenter asservabatur in Templo Hierosolymitano, cum quo nullum erat commercium Samaritis. Quantam verò dignitatem Regi contulerit unguenti sacri delibutio, è Talmudicis retulit ille quem laudavi Moses; qui docet decretum fuisse ut Pontifex Maximus Regem

veneraretur, & staret adventante Rege, locumque illi suum cederet. E contra Regem non stetisse præsentem Pontifice, nisi cum oraculum Vrim consuleret. Præterea si quis è Prophetis ad Regem accederet, humiliter se in terram coram Rege submittere, exemplo Nathan, qui coram Davide ore prono procubuit in terram.

V. Nec etiam illud omitendum est, Regem solum in sacrationibus atrij spatii sedisse. Divisum quidem erat atrium in duas partes, ita ut hæc Sacerdotibus, illa populo esset assignata; intra præscriptos tamen terminos, Sacerdotes stantes manebant. Senatoribus verò Sanhedrin sedendi jus fuit, sed in medio ejus spatij loco quem vulgus occupabat. Præterea ex ista unctioe profectum est ut Reges non solum res civicas domi militiæque procurarent, sed etiam ea tempestate religiones ceremoniasque constituerint, aut restauraverint. David Rex octo Sacerdotum stationes à Mose constitutas (è quibus quatuor ab Eleazaro, totidemque ab Ithamaro, gentem suam duxerant) sexdecim stationibus auxit, ita ut viginti-quatuor stationibus sacrificiorum ordo esset distributus. Harum seriem recitat Iosephus: quæ ita vices suas servabant, ut singulæ Hierosolymam venirent per hebdomadam integram, sacris operaturæ. Has stationes *ἐφ' ἑσθ' ἡμέρας* B. Lucas appellat. Levitas in classes viginti-quatuor idem Rex edicto suo divisit, ut facilius Sacerdotibus ministeria sua impenderent. Totidem familias alias Levitarum instituit, qui voce & organis inter sacra canerent, totidemque stationes adituorum. Eadem cura Salomonem incessit, ne ceteros Reges enumerem, qui rerum divinarum curam gessere. Quod ab iis jure regio tentatum est; non autem eo nomine quòd Vates essent, ut vulgò dici solet. Si enim Davidem excipias, & fortè Saulem, ceterorum nemo inter Prophetas recensitus est. Sed Salomo, Iosaphat, Ezechias, & Iosias jus & potestatem in Pontifices & in res divinas exercuerunt, quòd sacro unguento essent delibuti.

VI. Proximus à regia dignitate honor in Summis Pontificibus effulsit. E sacerdotibus familiis unà tantum pontificalis extitit, ex instituto Mosis; unde delectus Summus Pontifex: qui sacra unctioe & Pontificia veste inaugurabatur primum; sed post restaurationem templi, sacro oleo deperdito, solius vestis amictu initiatus est. Sacerdotum munus in universum hoc fuit, ut victimas in templo caderent, vota pro populo offerrent; Levitarum autem, ut

Sigon. Canzus de
Republ. Iudæo-
rum.

Deuter. 17.

Tacitus lib. 4.
Hist.

Vide. *fronh*
Præfatione No.
12. §. 3.

1. Paral. c. 11. h.
18.

1. Paral. 3.

1. Paral. 16. 17.
& 21. & 31.